

Johann Ludwig Gebhardi

**Georgii II Augustissimi Magnæ Britanniæ Franciæ Et Hiberniæ Regis ...
Auspicatissimum Proclamationis Diem Faustis Gratulationibus Et Piissimis Votis
Veneraturos Fridericum Behr Equitem Luneburgicum Et Simonem Fridericum
Adolphum L. B. De Spoerken Equitem Luneburgico-Batavum Indicit Patronos
Mecænates Fautores Amicos Ad Orationes Ipso Proclamationis Die Audiendas
Invitat Et De Ficto Quodam Cæsarum Elevandorum Scuto Præfatur**

Luneburgi: Typis Sternianis, 1750

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn884752887>

Druck Freier  Zugang




16
17
18
19

15

Ref 5445(1)

~~Ri-1064~~

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



GEORGII II

AUGUSTISSIMI MAGNÆ BRITANNIÆ
FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGIS
FIDEI DEFENSORIS

S. R. I. ELECTORIS ET ARCHITHESAURARII
AUSPICATISSIMUM PROCLAMATIONIS DIEM
FAUSTIS GRATULATIONIBUS

ET

PIISSIMIS VOTIS VENERATUROS
FRIDERICUM BEHR
EQUITEM LUNEBURGICUM

ET

SIMONEM FRIDERICUM ADOLPHUM
L. B. DE SPOERKEN

EQUITEM LUNEBURGICO - BATAVUM

INDICIT

PATRONOS MECÆNATES
FAUTORES AMICOS

AD ORATIONES IPSO PROCLAMATIONIS DIE AUDIENDAS
INVITAT

ET

DE FICTO QUODAM CÆSARUM ELEVANDORUM SCUTO
PRÆFATUR

IOHANNES LUDOVICUS LEVINUS
GEBHARDI


AUGUSTISSIMI REGIS A CONSILIIS ET PROF. PUBLICUS
ACADEMIÆ EQUESTRIΣ.

LUNEBURGI, TYPIS STERNIANIS.

1750.

*A. C. F. C. de Schulenburg.
Lunenburgi d. 9 Jan. 1773.*

106².



Ex quo mortalium conditio de primævo statu adeo deflexit, ut plures in unum coniecti corpus alieno imperio tandem assvescerent, id potissimum sibi negotii dandum crediderunt, qui Principem, cui colla subderent, sibi repræsentent eminentissimum. Sic æterna regnorum, sic annua rerum publicarum imperia perinde voluere illustrissima. Nec enim populus exstat vel caliginosa circumfusus barbarie, cujus Regnatores absq; pompa rerum auspicia adorianur. Tanti interesse videtur, a limine statim regentium venerationem subditis inspirari, tantiq; varias, quæ animos reverentia imbuant oculosq; in majestatem defigant, excogitari cerimonias. Quæ cum sub exordia dominationum ad primorem simplicitatem compositæ fuerint, pedetentim ex ingenio gentium auctæ in eam tandem molem excreverunt, quæ spectatores in admirationem et stuporem rapiunt. Actum agerem, quodsi animum inducerem, earum vel omnes vel quasdam enarrare, cum tot eruditorum scriptiones argumentum hoc digne satis exhausterint. Nec jam in originem Proclamationum, Elevationum, Unctionum, Coronationum, et qui præterea ritus in capeffendis habenis observari solent, inquirere molior. Etenim et hæc stadia doctis exgrege defudata. Quidam saltem elevandorum Cæsarum in regno Teutonico modus hanc prolusionem occupabit, cujus neminem meminisse miror, cum tamen, vel ut derideatur, producendus, vel ut profligatur, commemorandus fuisset. Sicut enim sole meridiano clarius elucet, primordia Cæsarum in imperio Germanico sacratissimis cerimoniis et magnificentia, observantiam et cultum Summæ Majestatis incussuris, semper eminuisse, eosq; tantum honores adhibitos, qui celsitudinem Augusti ceteris Orbis Christiani Dominatoribus sublimiorem testarentur abunde, ita co majori indignatione accipiendi, qui Reges Romanorum regni falces
per



per **dolium** orfos temerario ausu asserere non erubuerunt, moremque non solum Augustæ Gravitati indecorum sed a tanto dignationis fastigio penitus abhorrentem vel effingere ipsi conati, vel aliorum iniulsa commenta, credulitate abrepti, ceu veritati consentanea suis commentariis intulerunt.

Quem quidem relatum cum manifestum erroris reddere nunc ago, omnino e re erit, ipsos fabulæ autores in medium proferre. Duo tantum ejus farinae in omni scriptorum oceano, quantum mihi innotuit,prehenduntur: **DIETHERUS DE HELMESTAT CANONICUS Wimpinensis et AUTOR CHRONICI LUDOVICI IV CÆSARIS.** Prior in Chronica Ecclesiæ S. Petri Wimpinensis Collegiæ apud **SCHANNATUM** Vindemia II. p. 62. *Dux Albertus, inquit, receptis litteris Gerhardi Archiepiscopi Moguntini et aliorum fautorum suorum, de, ad ipsos in Alzeiam civitatem veniendi, assumpsit secum Episcopum Argentinensem, ceterosque Barones Alsacia ac nares ac currus oneratos vino et blado per terram et alveum Rheni, malis gratibus Regis, Adolphi, et aliorum fautorum suorum intrepidus usque in Alzeiam descendit; ubi a prædicto Archiepiscopo et aliis adjutoribus suis benigne susceptus est, ipsum super Dolium levantes in Regem sublimarunt.* Alter **ANONYMUS** apud **PEZIUM** Script. Austr. T. II. p. 420. exclamat: *Mira dicturus sum. Secunda pars Electorum vocant Ducem Fridericum in unam civitatem, quæ dicitur Pung, et coronatur ibi in campo super dolio, et proclamatur ibi in Regem.*

Ea utique fiducia uterque Dolium Cæsaribus supponunt, ut parum absit, quin lectorem in partestrahant, cum præsertim aliunde præsidia narrationi adfluant. Non enim diffiteor, adesse quæ nugis hisce aliquantulum authoritatis conciliare queant, Primo enim et **DIETHERUS** et **ANONYMUS**, nisi vivendo suos heroes attigerunt, certe haut longe ab eorum temporibus distincti. Quæ ætatum congruentia insignem autoribus fidem parere solet et valet. Tum ex historicorum monumentis claret, eo ævo morem adhuc viguisse, Principem declaratum militari ingenio in altum evehendi, sublatumque ostendendi populo, ut salutando acclamandoque sacramentum dicat. Cui quidem probando exempla sufficiunt Lotharii tertii Cæsaris et Philippi Navarraeorum Regis, quorum hunc anno 1329. *positum super scutum ante altare in civitate Pampelone una cum uxore sua in regem et reginam unanimi consensu elevatos, inunctos, coronatos, diserte testatur CONTINUATOR WILHELMI DE NANGIACO in Spicilegio XI DACHERII p. 743, illum vero,*

vero, qui oculatus testis ELECTIONIS LOTHARII formulam posteritati mandavit apud ECCARDUM Quaternione, *raptum humeris impositum regibus laudibus venientem sublatum et de intus circumlatum* refert. Quemadmodum enim ex LOTHARII ELECTIONE perspicuum est, Reges imperii Germanici olim in aera elatos fuisse, sic Philippus Navarræus evincit, Elevationem Seculum Alberti et Friderici Pulchri transgressam, Accedit denique, quod, cum inaugurandi Principes symbola sæpe a veneratione sui abludentia, ut Carinthiis usu venit, quin et nefanda, quod de Hiberniæ Regibus a LARREYO in Hist. Angl. T. I. p. 133. relatum legimus, subire coacti sint, dolii in elevandis Cæsaribus usus non omnino absonus videatur.

Verum enim vero errores, quibus Commentaria Dietheri sca- tent, & notitia Boici Monachi mœnibus claustrum impedita suspicionem haut levem gignunt, ambos, quæ auditione perceperunt, inconcinne reddidisse, neque fidem mereri, quæ Sannæ expositum dolium dubio eximat. Apud Germanos porro consuetudinem, electos scuto imponendi, non adeo invaluisse, ipsius Lotharii Cæsaris & Procerum fastidia arguunt. Leguntur enim in NARRATIONE apud ECCARDUM *Lotharius de sua comprehensione iratus vindictam petiisse, et Proceres imperii de inconsulta raptorum vehementia tam sibi quam rapto pro Majestatis honore non indebita gravissima debitam justitiam exegisse.* Quæ quidem verba, non indebita cum mendum librarii præferant, ita interpretanda, ut Majestatis honor læsus fuerit. Quodsi vero Cæsarem clypeo insistentem & circumgyratum Germani non sine offensione tulerunt, quanto rectiori tædio affectos credideris, cum fellam augustalem indigno dolio cessisse viderint. Ejusmodi, medius fidius, dehonestamentum nec Germanorum honestati nec Imperii sublimitati convenit, ideoque vel his rationibus, quibus subvertendis quicumque aliarum nationum ritus haut pares sunt, exterminanda ex fastis ridicula & insulsa dolii memoria. Quo autem dejectis dolii propugnaculis fabula penitus juguletur, operæ pretium est, commemorare, quali modo & Albertus & Fridericus regnare jussi personam regiam induerint.

De electione Alberti primi nec Electorum litteræ ad nos penetrarunt, nec æquales, qui ad eam curate cognoscendam faciant, superant scriptores præter COLMARIENSIS Chronici conditorem. Reliqui post Alberti fata fastos congesserunt, & vel diversi sentiunt, vel electionem omnino prætergressi silent. Unus igitur COLUMBARIENSIS instar omnium & fide dignus. Certe gravissimus apparet autor, & rerum, quas pandit, nisi conscius, egregie tamen gnarus. Ipsum quidem

B

quidem



quidem juvaret audire recitantem, sed veritus ne diffusior locus, cum describatur, nauseam crearet, per epitomen dare malui, verbis authoris istis, in quibus cardo vertitur, admixtis. Refert is apud URSTISIUM T. II. pag. 56, Moguntinum Saxonem & Brandenburgicum Electores, quod ægre ferrent, Adolphum non ad ipsorum nutum se componere, Duci Alberto literis testificatos Regem declaratum iri, si accingi velit Adolpho debellando. Adepturus, cui jam diu inhiaverat, Comitem Hegerlocium Romam mittit procuraturum, *ut litteræ Principum Electorum Regis, quas pro sua electione Papæ transmittant, sigillentur.* Negotio celeriter confecto Papæ responsa advolant, quibus *visis Principes curiam in festo S.S. Philippi & Jacobi anni 1298 pro regni negotiis edixerunt & Regem & Ducem specialiter vocaverunt.* Dux obtemperaturus ingenti exercitu conscripto in Sveviam irruit, sed Adolphi, Francofurto, si fides CHRONICO SAN-PETRINO, delapsi ad Ulmam occursum territus *Walshutam* fugit. Principibusque Electoribus, qui colloquium condixerant Festo Philippi Jacobi prope Franckinfurt significavit, quod propter impetum Regis Romanorum non posset commode pervenire, rogavitque, ut hoc in alteram transferrent. In hoc subito consenserunt quod & tribus vicibus transtulerunt. Adolphus interim Ducem viam præclusam in *Alsatiam* movet. Dux *Friburgum* accedit. Rex ipsi prævertens *Kenzingam* occupat, Albertumque compulit, subsidio noctis silenti agmine abire & per *Rinaugiam* se recipere *Argentina*. Dum *Argentina* Albertus hæret, *Vigilia Nativitatis Joannis Baptista cycli Lunaris VII tres Electores Regis Romanorum, Moguntinus Brandenburgensis et Saxo Moguntia* convenerunt, campanas compulsa verunt, populum convocaverunt, quædam, quæ fecerant, quædam facienda fideliter retulerunt. Ascenderunt igitur in Ecclesiam, facies suas vertentes ad altare manus suas elevarunt per Deum viventem juraverunt: quæ sequuntur in ipso autore legantur, pergunt Electores: *authoritate nobis commissa Adolphum regem insufficientem invenientes absolvimus eum a regiminis dignitate et Dominum Albertum Ducem Austria in Dominum et Regem eligimus Romanorum et potestate nobis tradita similiter confirmamus, et Te Deum solenniter cantaverunt.* Cumque Dux præsens non esset, extra civitatem ad tabernacula perrexerunt, et ibi pannum pretiosum supra equum projecerunt, Regem desuper sedere præceperunt et *Te Deum* cum magna lætitia cantaverunt. Septimanis quinque *Argentina* moratus cum paucis ad Moguntinum Archiepiscopum descendit Albertus, insequente exercitu, et ambobus imminente Adolpho. Ex itinere penuria pressus Albertus obsedit castrum *Alcejam*



Alcejam, eoq; in deditionem recepto, ut noſter, vel capto et exuſto, quod HISTORIA Australis apud FREHERUM p. 485 addit, Adolphum a deſſe ſenſit, quem in *Octava S. Joannis Baptiſta* ſimulata fuga caſtris extractum præſidioq; nudum naçtus gladio confodit. Hactenus COLUMBARIENSIS, Ceteros vix audire attinet. Qui his temporibus proximiores fuerunt, STERO ALTAHENSIS ad a 1298, *Ducem ſibi nomen Regis aſſumſiſſe*, HISTORIA AUSTRALIS *Moguntia electionem in Vigilia Joannis Baptiſta peractam* firmant, cui CONTINUATIO MARTINI POLONI apud ECCARDUM T. I. p. 1431 accinit. VITODURANUS, licet curioſe corraſerit, quæ ad Albertum primum ejuſq; geſta ſpectant, nihil amplius ſcivit, niſi *Regem effectum non de jure ſed per vim regio honore a Principibus et militia Alemannia tractatum fuiſſe*.

Non jam expeditiones Alberti et triſtia Adolphi fata tricis, quibus ſcriptores impedivere, expedienda curo. Uberiorem enim flagitant diſquiſitionem. Sed ad dimovendum Dietheri cadum tendo. Cujus præcipuum argumentum in eo pono, ut demonſtrem Helmeſtatum, quia in plæriſq; hallucinatus eſt, in reliquis fidem haut aliam mereri, niſi quæ ex Colmarienſis teſtimonio conſoſo ipſi accreſcit. Aſſeverationi huic aſſurgerent manipuli titubationum, ni anguſtia ſcriptionis prohiberentur. Satis habeo, quædam producere ex Dietheri narratione, quam ſupra dedi. Primo Albertus Ulma relictæ per Waldshutam Friburgum acceſſit, tuncq; nec ipſe nec Adolphus Briſacum attigere, ut vult Dietherus. Hic enim Kenzingam occupat, per quam iter Francofurtum Alberto patebat, et Albertus ægre Argentinam nanciſcitur. Tum fieri nequivit, ut Gerhardus Moguntinus Alzeja literas ad Albertum mitteret. Opidum enim, an caſtrum, Adolpho adhærebat, et poſt ſequi menſem demum ab Alberto expugnabatur. Porro Elevatio Regis non Alzeyæ, ſed in caſtris circa Francofurtum celebrata. Argentinenſis denique Epicoſus teſtibus COLMARIENSI et ALBERTO ARGENTINATE operibus Adolphi caſtro Rubeaceniſi incluſus Albertum nec comitatus eſt nec ſequi potuit, niſi ſoluta ab Adolpho obſidione libertati redditus. Hi utique manifeſti errores Autoris fidem ei; innixum dolium vehementer labefaciunt. Verum corruent omnino, cum probatum dederò, Albertum abſentem elevatum fuiſſe. Equidem haut inficio, multos præſentem ipſum credidiſſe, quos inter ALBERTUS ARGENTINAS, SCRIPTOR VITÆ BOEMUNDI Archipræfulis apud BROVERUM ad annum 1295, et CHRONICON SAMPETRINUM apud MENKEN. T. III. p. 308 agmen ducentes ſequutulejos ſuæ opinionis prævitæ infecerunt. Quin et ipſe COLUMBARIENSIS iis ſuffragari



suffragari videtur. Quamvis enim testatus sit, Ducem Moguntiaë in templo eligentium ceremoniis haut inter fuisse, ex posterioribus tamen ejus verbis probabiliter conficeretur, ipsum in castris egisse eventum rei præstolatum. Attamen vel curata alias Chronici expositio, de illis enim, ceu auritis testibus, iisque ævo junioribus in hac re nulla existimatio, falsitatis arguenda, vel verba aliter enodanda. Docet ipse, Albertum post Calendas Majas Argentinam ingressum per quinque hebdomadas ibi delituisse. Digressum inde tardis itineribus Moguntiam perrecturum Alzejaë sistit pridie vel propriedie Octavaë Sancti Johannis, quæ in Calendas Julias incidit. Antequam ergo Albertus Alzejam veniret, solennia proclamationis ad Moguntiam in vigilia Nativitatis Johannis Baptistæ, quæ cum 23 die Junii congruit, agitata erant. Ad hæc, præeunte Columbariensi Moguntinus post honores in urbe et extra eam novo Regis habitos Moguntia movit nuncium procul dubio Alberto allaturus ipsiq; ad Alzejam altero vel tertio die ante Octavam Johannis occurrit. Quo sane itinere Archipræfuli haut opus fuisset, cum Albertus potestatem sui eligentibus vel elevantibus fecisset. Hæc Chronici autor ita enarrat, ut sinceritas Scriptoris et cognitio rei actæ omnem suspensionem aberrationis amoveat. Veritas hinc ad liquidum patet, Albertum in castris ad Moguntiam non in equum impositum, sed caballum stragula pretiosissima ex more constratum absq; fessore cum omine infessuri, si adesset, Alberti circumductum fuisse. Sicut vero tum Alberti absentia, tum gravi auctoris coævi testimonio munitus caballus dolii fabulam adeo conculcant, ut laterem lavarem, quodsi argumentis porro elidere instarem, ita facillimo negotio diluitur, quod forsitan objici posset, dolium ex mente Dietheri Alberto in castro Alzejaë effulciendo adhibitum fuisse, posteaquam Moguntinus in congressum et colloquium Regis advolarat. Quasi vero tum exulassent caballi nec ostrophalerisq; regalibus instructus equus per quatuor milliaria Moguntia Alzejam ad excipiendum Regem duci potuerit, ut necesse habuerint, dolium in formam Sonipedis assimilare. Certe decentissimam illam absentis ad Moguntiam sublationem horridior diotæ insidentis species in ludibrium et procerum et militum vertisset, eo præsertim temporis articulo, quo Majestas gloria splendore et pompa circumfundenda, ut ferocientis Adolphi animus eam stuperet et frequentissimus Teuto ad ejus adorationem accederet, tantum aberat, ut in dolium conjicienda fuisset. Abeat ergo cum suo dolio Dietherus, nec amplius substernat regibus folium iilud explodendum.

De Friderici dolio velitatio levior. Mira quæ dicturus erat
 LUDOVICI IV CHRONICOGRAPHUS mire disparent inspectis
 Electorum

Electorum Friderici Tabulis. Acceptum ferimus eas RAYMUNDO
 DUELLIO in Friderico Pulcro inter Imperatores Romano Germanicos ad-
 huc stante. Prioribus ad Imperii Principes Henricus Colonienfis, Craſti-
 no S. Lucæ Evangeliftæ, inquit, apud Franckenfurt Fridericus Dux Auftriæ
 in Romanorum Regem eligebatur. Deinde idem Fridericus ſic electus com-
 parens coram nobis in Regem Romanorum ungi et coronari petiit. Nos au-
 tem Ludovicum Ducem Bavariæ citari fecimus coram Nobis ad certum
 diem et locum ad docendum de jure ſuo Civēs etiam Aquenſes interim per
 ſolennes nuntios noſtros et ſpeciales primo ſecundo et tertio ad eos tranſmis-
 ſos requiri fecimus, ut nos intromiſſent pro coronatione hujusmodi Aquis
 faciendæ, ut eſt moris Ludovico non comparente, et quia dicti civēs A-
 quenſes nos intromittere improvide recuſarunt - nos eundem Fridericum ipſa
 die in oppido noſtro Bunnem, quod eſt intra noſtram Diœceſin in Romanorum
 Regem unximus et coronavimus, adhibitis circa coronationem
 eandem ſolennitatibus debitis et conſuetis. In alteris ad
 Pontificem Romanum, qui ait, ſic electus per nos die certa, quæ fuit feſtum
 beatæ Catharinæ nuper præteritum, ad hoc ſtatuta, et proclamatione, ſicut
 juris eſt, præmiſſa, in Regem Romanorum extitit inunctus, et cum ſolen-
 nitate debita regali diademate coronatus. Elapſus erat menſis et
 quod excurrit, a die Electionis 19 Octobris, antequam diademate
 redimiretur 25 Nov: Fridericus. Idtemporis exhaustum partim per-
 ſvadendis Aquisgranenſibus, ut Friderico facultatem concedant
 aſcendendi ſolii regalis, partim, cum illi tergiverſarentur, apparati-
 bus Bonnæ adornandis. Quod ideo monendum cenſeo, quo in-
 telligatur, nihil turbidi, nihil fortuiti in coronando Friderico Bonnæ
 admitti potuiſſe, ſed proclamatione ſicut juris eſt præmiſſa debitis et con-
 ſuetis ſolennitatibus coronatum Regem, ipſo conſecratore teſte, et quidem
 in æde B. Caſſii aſſertore Leobienſi p. 913, ubi: Fridericus autem in
 Eccleſia B. Caſſii in Civitate Bunnenſi ab Henrico Epifcopo Coloniienſi coro-
 natus et Rex rite electus juſtus, potens, ſapiens, agilis proclamatur. Quis
 vero eo dementiæ proceſſerit, ut diem alma ridentem adorea dolio
 obſcuſcare et templi ſacraria Bachi myſteriis inquinare ſuſciperet.
 Egregie, fateor, cum ſolemnibus tot laudibus cumulatis compara-
 tum fuiſſet, ſi thronus ſummæ Majestatis ex apotheſca excitus eſſet.
 Et Principes hoc in Rege inaugurando dedecus paſſi habuiſſent, quo
 actum coronati ſui Regis faſtoſiorem Ludovici inauguratione gloria-
 rentur. Quandoquidem enim Fridericus inſignia regalia, vel ex ca-
 ſtro Trivels a Rudolpho Palatino tranſmiſſa, vel, quod magis vero
 accedit, Kiburgo, ubi ea quoq; aſſervata conſtat, extracta in manu
 habebat, iis amiſtus cinctusq; ſpendidiore faſtu inungebatur, ac
 C Ludovicus



Ludovicus non nisi devicto competitore iis potitus. Deportandum ergo dolium cum ceteris Bojorum commentis et fabulis anilibus, quas amore Ludovici cacutientes in despectum Friderici tum temporis frequenter effingere sibi sumserunt. A quibus licet Chronici Autor non omnino immunis videatur, pronius tamen iudicatu est, vel data verba temerarie suis annalibus intulisse, vel vocabulum teutonicum Boica dialecto distortum, quia haut intellexit, latine extulisse.

Originem certe figmenti in verbo quodam latere opinor. Neminem fugit, qui a limine res Germanorum salutavit, folia et thronos regum Romanorum alio nomine non venisse, nisi *des Stuhls*. Documento sunt, Archisolum Aquisgranense, *der Königliche Stuhl zu Acken*, sedes regalis ad oppidum Rense, *der Königs Stuhl im Baumgarten zu Rense*, thronus imperialis ad Kislingam vicum in campis ad Lycum haut procul Augusta Vindelicorum, alius ad Rhenum in Comitatu Badensi Helvetico eodem encomio *des Keyser Stuhls* apud accolas inclutus. Quorum postremos juri dicundo tantum destinatos deprehendo, Reensensem vero electo, Aquisgranensem coronando Regi inserviisse abunde probatum dedit Celeberrimus KOELERUS von dem Königs Stuhl bey Rens. Jam constat, superioris Germaniæ incolas plenioriore sonare, ideoq; voculam *Stuhl* distentiori hiatu *Stuohl* effari solere. Docent præterea infinita exempla, Monachos non erubuisse, verba vernacula, cum romano sermone reddere nescirent, latinitate donare. Facillime igitur apud ignaros regiarum sellarum ex *Stuohl* abscesso sibilo *Duolium*, et tandem Dolium, ceu magis notum, emergere, thronusq; imperialis in vilem cadum depravari potuit. Sed et alia succurrit dolii originatio, quæ priori nisi prævertit, certe non penitus a vero abludit. Utuntur, qui circa Danubium et superiorem Rhenum colunt, ad significandum apicem vel Summitatem cujusvis rei voce *Dolden* sive *Tolden*. Testem fisto SCHILTERUM in Glossario p. 233, ubi phrasin GEILERI, *den dolden des Gewalts erobern*, *apicem potentia occupare*, explicat, et verlus TYROLIS REGIS in parænesi ad filium

Darinne zweene böme stan

den tolden man der hohe jach

thaz man in den Landen ob allen bömen verre sach,

fic interpretatur: *Ubi duo arbores stabant, apicem altitudinis dicunt, ut in terris supra omnes arbores procul aspiciantur.* Accinit SCHOTTELIUS in primitivis linguæ Germanicæ p. 1303: *Dolder, umbella, item cacumen arboris, Dolder des Baums.* Sed largior dictionis acceptio. Denotasse etiam observo celebritatem festi diei. Sic apud HERRGOTTUM

GOTTUM in Prob. Hasp; Nro. 708 Rudolphus Habsburgicus edidit diploma *zu Zurich 1313 an dem negsten Montage vor Sant Pancratien Tult Ze Meien*, Nro. 711 Regenspergentes Dynastæ promittunt castrum suum Balbe non iri veniditum, charta anno 1310 *friedage nach Sanct Gallen Tult* data. Nro. 731 diploma quoddam Einsiedlense confectum *ze Zurich 1321 an dem Zinstage vor Sant Gregorien dult*. Quæ curatius pensitata vix dubitare sinunt, quin morem simulacra Sanctorum in annuis celebrationibus elate portandi voce Dult indigitaverint, ipsaq; postea latius sumta quævis festi solennia complexi fuerint. Vel itaq; apicis vel elevationis vel celebrationis interpretamentum placuerit, apprime locutio in festivitatem electi Cæsaris caballo inveci, an throno impositi, quadrat, vitiumq; dolii deformiter intrusi ex accepto perperam aut male intellecto verbo Duld, Tuld-Dolden, ortum esse ægre negabitur. Ceterum nequid prætermittam, quod ad eliminandum dolium facit, et Tholi hic meminisse interest. Testudo ipsa est sacræ ædis. Pressiori significatu centrum et quasi umbilicus cujuslibet fornicis tum in templis tum in palatiis fastigiata, quo sensu etiam scuti nomen indeptus. Vereor asserere, medio ævo tholum et scutum perinde valuisse. Exempla non inhærent memoriæ. Cum vel unum et alterum adsint, uterq; Dietherus et Annalista Ludovicianus nec oscitantia nec malitiæ arguendi, sed potius excusandi, quod consuetudinem Scuto Reges elevandi ipsorum ætate nondum omnino abolitam ad sacra inaugurandi Cæsaris retraxerint, Tuncq; culpa dolii ex tholo enati unice in librarios recideret. Sed finis tandem imponendus prolusioni. Causam ei præbucere duo Academia nostræ cives.

ERIDERICUS BEHR

Eques Luneburgicus.

SIMON FRIDERICUS ADOLPHUS L. B. DE


SPOERCKEN

Eques Luneburgico Batavus

qui, cum natalium splendore eminent, id potissimum egerunt, ut eximia industria, qua ad studia incubuerunt, moribusq; ad amussim politis et originem ad magna natōrum demonstrarent, et fiduciam certam excitarent, tales aliquando futuros, quales suo merito jam sperantur. Quorum quidem documentum edituri Generosi virtutum æmuli et studiorum socii in publicum prodire animum induxerunt. Et cum materiam dicendi circumspicerent, argumenta sibi elegere, quæ licet viribus extantiora videantur, submississima tamen in Patrem patriæ devotione in generatoq; erga patriam amore impulsi audere satius duxerunt,



duxerunt, quam pietatis conatus timidiusculi suppressere. Venerabitur igitur ore latino Ille lætitiã publicã ex desideratissima Potentissimi Regis, Nutritii nostri clementissimi, præsentia in orbem Guelphicum profusã, unaq; ingentia commoda demirabitur, quæ auspiciatissimus proclamati olim Georgii Optimi Maximi dies terrarum orbi peperit. Hic vero oratione teutonica felicitatum prærogativã laudabit, quas perpetua centum annorum pax nostris regionibus sub Georgiorum alis securis indulset, et æterna Georgii Regis providentia adhuc largitur. Quas quidem nostras faustitates cum nullum dubium sit, quin, quos alma Augustissimi tutela tegit, gratissimo animo lætabundi prosequantur, et laudatores earum non fastiditum iri certissimi persuasi, PERILLUSTRES ET VENERABILES, DOMINUM PRÆSULEM, ET DOMINUM AULICI DICASTERII PRÆSIDEM, GRATIOSISSIMOS ACADEMIÆ NOSTRÆ PATRONOS, ceterosq; quas inclyta LUNEBURGA fovet, litterarum FAUTORES atq; AMICOS suis quemq; encomiis condecoratos observanter et officiose rogatos volumus, ut diei, quo ante hos vigintitres annos inter festivissimas acclamations Gloriosissimus Georgius secundus regales felicissimi imperii fasces capessuit, celebritatem augere, frequentes adesse, atq; benignum Generosissimis Juvenibus de tantis rebus dicturis favorem aspirantes in tam debitæ gratulationis partem venire haut dedignari velint. P. P. in Academia Equestri die XVI Junii MDCCCL.



Sing.

Sing = Gedichte.

Vor den Reden.

Georg ist da! Ihr Triebe auf!
 Vergrössert der Musen aufblodernde Flammen!
 Begeistert den Wik! verneuert die Säfte,
 Erhizet das Blut, entzündet die Kräfte,
 Erhöhet mit brünstiger Einheit zusammen:
 Georg ist da! Ihr Triebe auf.

Wie nach volbrachter Nacht
 Der bange Kummer weicht,
 Wenn Titans goldne Pracht
 Der Erden Licht, dem Geiste neues Leben schenket.
 Wie das gedrengte Schif die Hofnungs Ruder lenket
 Und seine Seegel freudig streicht,
 So bald sein Wunsch den Stern erblicket,
 Der es beglückket.
 So muntert sich die Sehnsucht auf,
 Und fliegt mit Rührungs vollen Zügen
 Zum Gegenstande ihrer Lust.
 George komt! der Ruf erfüllt mit Anmuth unsre Brust
 Die Herzen mit Vergnügen.
 Der Liebe Schwunf, der Regung Lauf
 Verdoppeln sich mit dringenden Bestreben
 Die erste Frucht des Danks zu geben.
 George eilt, sie eilen mit!
 Die Vorsicht folgt, und schützt, und deckt,
 Der Seufzer Heer umgiebt den Wagen.
 Die Freude lermt mit kochender Begierde
 Europens Aug, Europens Zierde,
 Den Schutz Germaniens glückwünschend fortzutragen,
 Also verläßt Georg Britanniens Gebieth,
 So fährt er übers Meer, und fremde Fluhren,
 So zieht er in sein Land und in die Herzen ein.
 Georg ist da! Ihr Triebe auf!

D

Zwischen



Zwischen den Reden.

Beglückter Tag! brich aus der Höh.
 Fülle die Lüfte mit brausenden Freuden Schal.
 Rege den Erdkreis zum jauchzenden Wiederhal.
 Stimm an: Glük zu dem Könige!
 Des weisen Königs Sohn
 Der weisere Georg besteigt der Britten Thron.
 Die Liebe vor sein Volk, die Sorge vor das Recht,
 Heyl, Segen, Ueberfluß, glükseelige Zeiten
 Sinds, welche den König im Steigen begleiten.
 Beglückter Tag! brich aus der Höh.
 Fülle die Lüfte mit brausenden Freuden Schal.
 Rege den Erdkreis zum jauchzenden Wiederhal.
 Stimm an: Glük zu dem Könige.

So feuerte vor nunmehr drey und zwanzig Jahren
 Des Herolds Ruf die unterworfne Schaaren
 Zum Ausdruck reiner Wünsche an.
 Was Ehrfurcht, Inbrunst, Lieb ersinnen kan
 Schwom aus den unterhängen Welten
 Georgens Throne zu.
 Des Himmels Schluß erhöht der Völcker Flehen.
 Man sieht Brittannien in ungestörter Ruh
 Zum höchsten Gipfel gehen.
 So selten
 Vereinhahrt Fried und Krieg Vergnügen schaffen,
 So blüht der erste doch in Albions Gefilden,
 Beym Mohr, beynd Indier, und bey den Wilden.
 Und dieser frönt Georgens muthge Waffen
 Mit Ehr und Ruhm,
 Wenn Hülf und Huld Bedrengte decken,
 Und seine Helden Faust der Teutschen Eigenthum,
 Die Freiheit, so der Feind gekränkt,
 Germanien großmühtig wieder schenkt.
 Dort herrschet Reichthum Ueberfluß, hier Schrecken,
 Verehrung überall.

Glükseelige

Glückselge Folgen jener Sonne,
 Von deren Strahl
 Des grossen Königs Thron den ersten Glanz hernahmt.
 Das Ungedenken eurer Bonne
 Erbricht der Britten Mund, erhitzt die teutsche Treu
 Von Gott so lang es immer möglich sey
 Georgens Wohl und sich die Freude zu erbitten,
 Bey öftrer dieses Tages Feyer
 Ergebenheit und Dank und Lob und Ehrfurcht auszuschütten.

Beglückter Tag! brich aus der Höh.
 Fülle die Lüfte mit brausenden Freuden Schal.
 Rege den Erdkreis zum jauchzenden Wiederhal.
 Stimm an: Glück zu dem Könige!

Nach den Reden.

Du labst und erquickest in ruhiger Stille
 Du nährst uns, o Friede, mit trächtiger Fülle,
 Da Recht die erfreueten Länder bedekt,
 Den Frommen belohnet, den Bösen erschreckt!
 Auf solcher Bahn voll Lieblichkeiten
 Kan nur Georgens Wink uns leiten,
 Daß keine Unruh uns erweckt.
 Du labst und erquickest in ruhiger Stille
 Du nährst uns, o Friede, mit trächtiger Fülle,
 Da Recht die erfreueten Länder bedekt
 Den Frommen belohnet, den Bösen erschreckt.

Beglücktes Land! so keine Kriege kenne.
 Das kaum der donnernden Carthaunen Schall
 Von weiten hört,
 Das vor das Vaterland versprüzte Blut
 Nur auf Papieren sieht,
 Und wenn der Nachbahr flieht,
 Da Korn und Dorf verbrennet,
 Ganz sicher unter seinem Feigenbaume ruht,
 Das nicht der Mauren Sturz, der Schloßer Fall
 In seiner Stille stört,
 Wo die Zufriedenheit in Fetten Auen wendet,
 Wo Recht kein Unrecht leydet.

In



In solchem Vorrecht blüht der Guelfen Staat.
 Seit dem vor mehr als hundert Jahren
 Die Mord Lust und der Schwerdter Toben
 Ein Friedens Schluß gehoben,
 Zertritt nicht Wuth noch Grimm des Feindes unsre Saat.
 Die Unruh weicht, der Friede lacht,
 Vergnügen wächst, der Handel wacht
 Und häuft Reichthum mit Ueberfluß.
 Der Musen frohe Chöre
 Streum ihrem Phöbus Dank und Ehre.
 Dies eigenthümliche
 Dankt unser Land den göttlichen Georgen.
 Der erste gründete
 Die Beste seines Stamms, des zweenen Sorgen
 Verbreiten Macht und Glanz, des dritten Fuß
 Besteigt der mächtigen Britten Thron.
 Und beyder Khur und Kron
 Ziirt unser Salomon, der Gottheit Bild
 Aus dessen Güte Heyl, aus dessen Wohl das Wolsein seiner Länder quillt.


Herr! unser Wohl entspringt aus deinen!
 Lebst du so blühet Fried und Glück.
 Drum gönn uns oft die Gnaden Blicke,
 Die jetzt so Huldreich uns bescheinen.
 Und lebe, unser Trost, zu unsrer Lust!
 Laß Himmel unser brünstig Flehen
 In gnädige Erfüllung gehen!
 Laß Hoheit Ruhm und Ehr Georgens Stirn um-
 schliessen!
 Und ihn die vierte Welt in seinen Enkeln küssen!



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be Latin or a similar classical language, with some words like "POSTER" and "Laudis" being partially discernible.

Faint text at the bottom of the page, possibly a signature or a reference.







Glückselge Folgen jener Sonne,
 Von deren Strahl
 Des grossen Königs Thron den ersten Glanz hernahmt.
 Das Angedenken eurer Wonne
 Erbricht der Britten Mund, erhitzt die teutsche Treu
 Von Gott so lang es immer möglich sey
 Georgens Wohl und sich die Freude zu erbitten,
 Bey öftrer dieses Tages Feyer
 Ergebenheit und Dank und Lob und Ehrfurcht auszuschütten.

Beglückter Tag! brich aus der Höh.
 Fülle die Lüfte mit brausenden Freuden Schal.
 Rege den Erdkreis zum jauchzenden Wiederhal.
 Stimm an: Glück zu dem Könige!

Nach den Reden.

Du labst und erquickest in ruhiger Stille
 Du nährst uns, o Friede, mit trächtiger Fülle,
 Da Recht die erfreueten Länder bedekt,
 Den Frommen belohnet, den Bösen erschreckt!
 Auf solcher Bahn voll Lieblichkeiten
 Kan nur Georgens Wink uns leiten,
 Daß keine Unruh uns erweckt.
 Du labst und erquickest in ruhiger Stille
 Du nährst uns, o Friede, mit trächtiger Fülle,
 Da Recht die erfreueten Länder bedekt
 Den Frommen belohnet, den Bösen erschreckt.

Beglücktes Land! so keine Kriege kennen.
 Das kaum der donnernden Carthaunen Schall
 Von weiten hört,
 Das vor das Vaterland versprützte Blut
 Nur auf Papieren sieht,
 Und wenn der Nachbahr flieht,
 Da Korn und Dorf verbrennet,
 Ganz sicher unter seinem Feigenbaume ruht,
 Das nicht der Mauren Sturz, der Schlösser Fall
 In seiner Stille stört,
 Wo die Zufriedenheit in Fetten Auen wendet,
 Wo Recht kein Unrecht leydet.

In

